

## CICÉRON

*De Re Publica I*

Cicéron "traducteur" de Platon (= *La République*, VIII, 562a sqq)

XLII. 65. Et Scipio : "Est omnino, cum de illo genere rei publicæ quod maxime probo quæ sentio dixero, accuratius mihi dicendum de commutationibus rerum publicarum, etsi minime facile eas in ea re publica futuras puto. Sed huius regiæ prima et certissima est illa mutatio. Cum rex iniustus esse cœpit, perit illud ilico genus, et est idem ille tyrannus, deterrimum genus et finitimum optimo ; quem si optimates oppresserunt, quod ferme euenit, habet statum res publica de tribus secundarium ; est enim quasi regium, id est patrium consilium populo bene consulentium principum. Sin per se populus interfecit aut eiecit tyrannum, est moderatior, quoad sentit et sapit, et sua re gesta lætatur tuerique uult per se constitutam rem publicam. Si quando aut regi iusto uim populus attulit regnoue eum spoliavit, aut etiam, id quod euenit sæpius, optimatum sanguinem gustauit ac totam rem publicam substravit libidini suæ (caue putes autem mare ullum aut flammam esse tantam, quam non facilius sit sedare quam effrenatam insolentia multitudinem), tum fit illud, quod apud Platonem est luculente dictum, si modo id exprimere Latine potuero ; difficile factu est, sed conabor tamen.

XLIII. 66. "Cum enim, inquit, inexplebiles populi fauces exaruerunt libertatis siti, malisque usus ille ministris non modice temperatam, sed nimis meracam libertatem sitiens hausit, tum magistratus et principes, nisi ualde lenes et remissi sint et large sibi libertatem ministrent, insequitur, insimulat, arguit, præpotentes, reges, tyrannos, uocat. "Puto enim tibi hæc esse nota."

"Vero mihi, inquit ille [*Lælius*], notissima." (67)

[*Scipio*] . "Ergo illa sequuntur : "eos, qui pareant principibus, agitari ab eo populo et seruos uoluntarios appellari ; eos autem qui in magistratu priuatorum similes esse uelint, eosque priuatos qui efficiant ne quid inter priuatum et magistratum differat, ferunt laudibus et mactant honoribus, ut necesse sit in eius modi re publica plena libertatis esse omnia, ut et priuata domus omnis uacet dominatione, et hoc malum usque ad bestias perueniat, denique ut pater filium metuat, filius patrem neclegat, absit omnis pudor, ut plane liberi sint, nihil intersit cuius sit an peregrinus, magister ut discipulos metuat et iis blandiatur, spernantque discipuli magistros, adulescentes ut senum sibi pondus assumant, senes autem ad ludum adulescentium descendant, ne sint iis odiosi et graues ; ex quo fit ut etiam serui se liberius gerant, uxores eodem iure sint quo uiri, inque tanta libertate canes etiam et equi, aselli denique liberi sic incurrant, ut iis de uia decedendum sit. Ergo ex hac infinita, inquit, licentia hæc summa cogitur, ut ita fastidiosæ mollesque mentes euadant ciuium, ut, si minima uis adhibeatur imperii, irascantur et perferre nequeant ; ex quo leges quoque incipiunt negligere, ut plane sine ullo domino sint."

XLIV. 68. Tum *Lælius* : "Prorsus, inquit, expressa sunt a te, quæ dicta sunt ab illo.

[*Scipio*]. "Atque ut iam ad sermonis mei auctorem reuertar, ex hac nimia licentia quam illi solam libertatem putant, ait ille ut ex stirpe quadam existere et quasi nasci tyrannum. Nam ut ex nimia potentia principum oritur interitus principum, sic hunc nimis liberum populum libertas ipsa seruitute afficit. Sic omnia nimia, cum uel in tempestate uel in agris uel in corporibus lætiora fuerunt, in contraria fere conuertuntur, maximeque id in rebus publicis euenit, nimiaque illa libertas et populis et priuatis in nimiam seruitutem cadit. Itaque ex hac maxima libertate tyrannus gignitur et illa iniustissima et durissima seruitus. Ex hoc enim populo indomito uel potius immani deligitur aliqui plerumque dux contra illos principes afflictos iam et depulsos loco audax, impurus, consecrans proterue bene sæpe de re publica meritos, populo gratificans et aliena et sua ; cui quia priuato sunt oppositi timores, dantur imperia, et ea continuantur ; præsiis etiam, ut Athenis Pisistratus, sæpiuntur ; postremo, a quibus producti sunt, existunt eorum ipsorum tyranni. Quos si boni oppresserunt, ut sæpe fit, recreatur ciuitas ; sin audaces, fit illa factio, genus aliud tyrannorum, eademque oritur etiam ex illo sæpe optimatum præclaro statu, cum ipsos principes aliqua prauitas de uia deflexit. Sic tanquam pilam rapiunt inter se rei publicæ statum tyranni ab regibus, ab iis autem principes aut populi, a quibus aut factiones aut tyranni, nec diutius unquam tenetur idem rei publicæ modus.